PALAESTRA




1936 N. 11

INDEX RERUM:

I N T E G U M E N T O: PUELLA CUM SERPENTE.

In Museo Capitolino quo praecipua antiquorum Romae adservantur monumenta, quae saeculorum ruinam effugerunt, habetur haec statua aetatis Alexandrinae. Parvulam videmus puellam quae pallae sinu occultat columbam anxie prospectantem. Pone puellam erigitur serpens puellam, aut quod est credibilius, columbam adpetiturus. Nil est quod pro puellae vita timeamus: nam serpens quamquam horrorem nobis inicit, puellae est amicus ac socius, quocum ita ludere consuevit. Alexandrini enim in deliciis habebant parvorum serpentium genus quod graece dicebant *agathosdaimon* (bonus genius), quia ipsos defendebat a muribus atque vermiculis nocivis. Ceterum ipsa puellulae facies leniter serpenti adridens dicere videtur: „Ne nimium adlaboraris, mi soci, nam quam defendo columbam a tuo incredibili appetitu, nunquam adsequeris“.



M. Muretus, De Polonia Christianorum propugnaculo.

Marcus Antonius Muretus (1526—1585), celeberrimus litterarum renascentium sospitator, pro Sigismundo Augusto rege Poloniae ad Pium V pontificem Romanum XVIII kal. Februariis anno MDLXVII habuit orationem, qua Polonos regemque celebravit, papaeque commendavit: eam orationem hic proponimus.

Maximas res, memoratuque ac cognitu dignissimas afferam, et quanquam notas atque illustres, tum suopte splendore ac magnitudine, tum propter regiae fortunae sublimitatem, quae magnorum et potentum regum actiones obscuras esse non patitur, tamen eo minus pervulgatas, quod Polonorum gens semper in praeclaris rebus gerendis, quam in iis quae gessisset, memoriae prodendis, occupatior fuit: semperque maiorum suorum virtutem, imitari quam celebrare gloriosius duxit. Atque ut, unde proposui, exordiar, et Poloniae Rex quam longe lateque domi-

netur, expediam: tota illa Germaniae pars orienti soli propior, quae est inter fluvios Guttalum, quem hodie Oderam vocant, et Vistulam, qui antiquis temporibus Germaniam a Sarmatia dividebat, et Sarmatiae quantum est a Vistula ad Borysthenem, et a ponto Euxino usque ad sinum Venedicum, inter quos plus mille Italica passuum millia interiecta sunt, illius imperio continetur. Regio prope tota aequa et plana, multis magnisque fluminibus et ad fertilitatem et ad mercaturas commodissimis irrigua, rebus ad vitam necessariis usque ad abundantiam dives. Habitatorum autem ea multitudo, ut, cum equitatus regius ex solis nobilibus constet, centum quadraginta equitum millia armare, et in aciem secum, si res ferat, educere Rex Poloniae possit.

Homines natura fortes et animosi, quique non facile aut voluptatibus molliantur, aut periculis terreantur. Mortem per decus obitam, immortalitatis instar; vitam per dedecus retentam, quavis morte peiorem putant. Ignominiam ut fugiant, nihil non fecerint; ut mortem, nihil. Haec hominum, haec locorum ingenia. Cinguntur autem omni propemodum ex parte ferocissimis gentibus, et partim ab Ecclesiae communione dissociatis ac diremptis, partim apertis et capitalibus Christiani nominis hostibus, ut in illo confinio, tanquam in communi quadam arce ac propugnaculo, fortissimi viri ad sustinendam et propulsandam barbarorum immanitatem, et ad agendas

perpetuas pro Christianis omnibus excubias divino consilio constituti ac collocati esse videantur: quo essent ceteri Polonorum virtute tecti, Polonorum laboribus quieti, Polonorum periculis tuti.

Neque mihi videor quidquam a suscepto munere facturus alienum, si breviter exposuero, quemadmodum illos Deus, ante sexcentos abhinc annos, discussis errorum, quibus involuti erant, tenebris, ad euangelii lucem perduxerit. Quod dum facere ingredior, adeste quaeso animis, quicumque corporibus adestis, et in re maximi momenti divinae bonitatis ac sapientiae magnitudinem considerate. Omnes fere magnae et memorabiles in rebus humanis mutationes aliquanto antea aut uno, aut pluribus illustribus ac notabilibus signis divinitus portendi ac praesignificari solent. Cum igitur tempus illud appropinquaret, quo se Deus Polonis patefacere, eosque impia superstitione purgatos caelesti doctrina imbuere statuerat: adventantis iam et instantis salutaris illius mutationis hanc, quam mox audietis, significationem dedit. Imperabat Polonis Ziemomislus Lesci filius, princeps (quatenus haec convenire in hominem non Christianum queunt) et iustitiae et clementiae et beneficentiae, et aliarum virtutum laude cumulatus: et in quo nihil praeter Christi cognitionem desiderares. Huic, cum multos annos sine liberis esset, graviterque ea re angeretur, tandem natus est filius, sed oculis captus: ita ut non facile

diiudicari posset, maioremne dolorem percepisset ex orbitate, an perciperet ex unici filii caecitate. Omnia remedia, omnes medicorum conatus mali pertinacia elusit. Iam ad septimum annum pervenerat puer, eique patrio quodam ritu primam comam tonderi, nomenque imponi oportebat: cum praeter omnium spem subito oculis uti coepit. Incredibili laetitia perfusus pater convocatos ad se hariolos consulit, quid ex tam admirabili successu filio suo, quid toti Poloniae portenderentur? Respondent, eo imperante, Poloniam mirabiliter illustratum iri. Ex ea spe atque omine puero nomen inditum Miecislao, quod gentis lingua significabat eum, qui sibi gloriam gladio pariturus esset. Nullo enim alio modo illustrari posse Poloniam, quam bello et armis cogitabant. Iam adoleverat Miecislaus; iam ad virilem aetatem pervenerat; iam mortuo patre rerum potiebatur; et ceteris quidem virtutibus patri non absimilis, nihil ceteroqui bello egregium aut memorabile gerebat: ita ut tota Polonia et se credulitatis et vanitatis vatum suorum responsa damnaret. Sed maius quiddam, quam quod illi suspicati erant, parabat Deus. Miecislaus, ductis barbarico more septem uxoribus, nullos tamen ex ulla earum liberos procreare poterat.

Interea fundente se ac spargente quotidie latius Christiana religione, pervenerant et in Poloniam sancti quidam viri: qui aut solitariae vitae, ut quietioris et ad res divinas sine ullo impedimento

contemplandas aptioris studio ducti, aut periculorum metu in abditis et remotis silvarum recessibus delitescentes, Christo, ut poterant, serviebant. Horum quibusdam in animum immittit Deus, ut ad principem adeant eique polliceantur et liberos et alia multo maiora, si, repudiato falsorum numinum cultu, Christum verum Deum agnoscere et traditam ab eo doctrinam suscipere vellet. Ipse quoque divini spiritus repentino tactus afflatu, promptum se ac facilem salutaribus illorum monitis praebuit. Neque longius res ducta est, quam dum prima ac praecipua religionis nostrae capita edoceretur. Quae ut percepit, magna pompa ac celebritate publice baptizatus, brevi tempore totam Poloniam ad Christianam pietatem et exemplo suo incitavit et cohortationibus ac praemiis allexit; et minis ac suppliciis adversus pertinaces propositis perpulit. Tum demum cognitum est, quod Miecislaus totos septem annos caecus fuisset, significatam esse hoc modo diuturnam Polonae gentis caecitatem: quod, omnibus humanis auxiliis frustra tentatis, tandem divino beneficio lucem aspexisset, fore ut populi quoque caecitas nulla humana ope sanabilis divinitus depelleretur.

Neque vana fuit hariolorum praedictio. Eo enim rerum potiente, Polonia splendore divini luminis illustrata est. Notum est autem interdum fieri, ut etiam superstitiosi et impii homines, Deo permittente, vera vaticinentur. Neque temere inditum nomen Gladio

enim sibi et suis gloriam peperit, non quidem ferreo, aut ulla ex alia materia confecto; sed gladio illo utrinque acuto, gladio spiritus, quod, ut ait Paulus, est verbum Dei. Ut autem ab ea Ecclesia, quae ceterarum omnium mater ac magistra est, Christiane vivendi leges acciperent et ex eo fonte haurirent, unde nihil non purum et incorruptum hauriri potest, legatos miserunt ad Ioannem Pontificem eius nominis tertium decimum, per quos et eum, ut communem totius Ecclesiae pastorem, venerarentur, et ab eo sibi peterent Episcopos mitti, a quibus regi, et quae sibi credenda quaeque facienda essent, cognoscere accuratius possent. Misit ille Italorum hominum spectatae probitatis et eruditionis idoneum numerum: qui primi novellas illas ac teneras nuper in horto Christi depactas ac consitas plantas copiosis sanctorum praeceptorum imbribus irrigarunt.

Huius Miecislai soror Adleida, cum Geisae, Ungarorum principi, nupta esset, cohortationibus suis perfecit, ut ipse quoque cum tota Ungaria Christi sacramento adigeretur. Neque vero eius filius Boleslaus primus, Poloniae Rex, aut maioribus suis laude bellica aut patri propagandae religionis studio cessit. Qui suscepto adversus Saxonas bello, et ea, quae illi dudum Polonis ademerant, recuperavit, et cum univesam illam oram ad Albim et Salam fluvios, et Chersonesum Cimbricam, quae hodie Dania vocatur, sub imperium suum subiunxisset, ut ostenderet, eam se

victoriam Christo quaesiisse, non sibi, nihil in victos acerbe aut crudeliter statuit: sed cum eos ad accipiendam Christi doctrinam compulisset, fixis memoriae causa in Salae ripa tribus ferreis columnis, in Poloniam se recepit. Numquid igitur, ea laude contentus, otio se postea tradidit? Immo vero declaravit, nunquam desidem atque ignavam esse virtutem; nullas ei esse a praeclaris actionibus ferias; fortes et constantes viros honestorum laborum ac munerum perfunctione, non ad quietem invitari, sed ad alia ex aliis assidue suscipienda incitari. Nam cum Prussi aliquot ante annis divum Adalbertum interfecissent: eiusque corpus quidem ipse aequo auri pondere a barbaris redemisset (mirum hoc quoque pietatis argumentum: sed in tanta temporis angustia multa necessario praetermittenda sunt) caedis autem ultionem in aliud tempus distulisset: tunc demum ratus advenisse tempus illud, cum et punienda eorum audacia et armis frangenda pertinacia esset, bellum eis intulit, neque magno negotio victor non aliam eis poenam imposuit, quam ut erroribus suis depositis Christo initiarentur. Hic mihi, beatissime Pater, venit in mentem, quod olim a quodam Graeco imperatore dictum est, qui a suis in exilium pulsus, cum apud hostes, ad quos confugerat, multo lautius ac magnificentius haberetur quam apud suos: Perieramus, inquit, nisi periissemus. Ita enim et qui ab illo principe vincebantur dicere poterant, se, nisi ab eo victi

essent, perituros fuisse. Quid ego iam, ut Pomerani a Boleslao tertio, Prussi a Boleslao quarto ad Christum, a quo defecerant, revocati sint, persequar? Rerum me copia, beatissime Pater, inopem consilii reddit. (p. c.).

A. Mickiewicz, Świteź.

(Thaddaeus Zieliński, Tragodumenon libri III p. 2. n.).

Cum igitur Poloni simus, ordinem ducat summus poeta noster, A. Mickiewicz, eiusque ballata, cui *Świteź* nomen indidit, a lacu patrio, cuius nympha ab audacibus exploratoribus capta miraculosa sua sororumque suarum fata enarrat. Stabat illic quondam opulenta civitas; quae cum propter ipsam suam felicitatem vicinorum Moscovitarum invidiam movisset neque impetum eorum sustinere posset, iuvenes matronae puellaeque extremam turpitudinem sibi impendere videntes... sed reliqua ipius poetae verbis referre praestat ut potui latine translatis:

„Dirae illam maneant, quae vitam abrumpere cessat!"
Clamor it; hanc flammam tollere qui potui?
Iamiam cervices cunctae trans limina tendunt,
Auget femineas dura bipennis opes.
Ecce nefas! Quid enim? Veniant impune catervae.
Ut ferat, indignum, turpia vincla manus?

An placet huic fato mortem praeferre scelestam?
„Pro Deus! — exclamo, — supplicibus fer opem!
„Effugere hostiles miseris si non licet iras,
„Tu, precor, innocuis instrue mortis iter:
„Aut tuus in cineres ignis pia corpora vertat,
„Aut vivis tellurem hiscere, Sancte, iube!“
Protinus orantem nubes circumdedit alba —
Sic noctis tenebras discutit alma dies. —
Praestrictos oculos terrae demittere tempto —
Nec iam terra oculis cernitur ulla meis.
Sic nos servitium caedemque effugimus una;
Floribus ut niteant haec loca laeta vides?
Hae tibi Svitesiae florent nataeque nurusque,
Has formas iussae numine ferre Dei.

Erasmus, Monitoria paedagogica.

O należytem zachowaniu się ucznia.

Paedagogus. Tu mihi videre non in aula natus, sed in caula; adeo moribus es agrestibus. Puerum ingenuum decent ingenui mores. — Quotiens alloquitur te quispiam, cui debes honorem, compone te in rectum corporis statum, aperi caput. Vultus sit nec tristis, nec torvus, nec impudens, nec protervus, nec instabilis, sed hilari modestia temperatus; oculi verecundi, semper intenti in eum, cui loqueris; iuncti pedes, quietae manus. Nec vacilles alternis tibiis, nec sint gesticulosae manus, nec mordeto

labrum, nec scabito caput, nec fodito aures. Vestis item ad decorum componatur, ut totus cultus, vultus, gestus et habitus corporis ingenuam modestiam et

Puer. Quid si mediter?

P. Siccine satis?

Paed. Nondum.

P. Quid si sic?

Paed. Propemodum.

P. Quid si sic?

Paed. Hem, satis est; — isthuc tene, ne sis inepte loquax aut praeceps. Nec vagetur animus interim, sed sis attentus, quid ille dicat. Si quid erit respondendum, id facito paucis ac prudenter, subinde praefatus honorem, nonnunquam et addito cognomento, honoris gratia; atque identidem modice flectas alterum genu, praesertim ubi responsum absolveris. Nec abeas, nisi praefatus veniam, aut ab ipso dimissus. Nunc age, specimen aliquod huius rei nobis praebe! — Quantum temporis afuisti a maternis aedibus?

P. Iam sex ferme menses.

Paed. Addendum erat: „domine".

P. Iam sex ferme menses, domine.

Paed. Non tangeris desiderio matris?

P. Nonnunquam sane.

Paed. Cupis eam revisere?

P. Cupio, domine, si id pace liceat tua.

Paed. Nunc flectendum erat genu. — Bene

habet. Sic pergito. — Cum loqueris, cave, ne praecipites sermonem, aut haesites lingua, aut palato immurmures, sed distincte, clare, articulate consuescito proferre verba tua. Si quem praeteribis natu grandem, magistratum, sacerdotem, doctorem, aut alioqui virum gravem, memento aperire caput, nec pigeat inflectere genu. Itidem facito, cum praeteribis aedem sacram, aut imaginem crucis. In convivio sic te praebebis hilarem, ut semper memineris, quid deceat aetatem tuam; postremus omnium admoveto manum patinae. Si quid datur lautius, recusato modeste; si instabitur, accipe, et age gratias. Mox decerpta portiuncula, quod reliquum est, illi reddito, aut alicui proxime accumbenti. Si quis praebibet, hilariter illi bene precator, sed ipse bibito modice. Si non sitis, tamen admoveto cyathum labiis. Arride loquentibus. Ipse ne quid loquaris, nisi rogatus. — Si quid obscoeni dicetur, ne arride, sed compone vultum, quasi non intellegas. Ne cui obtrectato, ne cui temet anteponito, ne tua iactato, ne aliena dispicito. Esto comis, etiam erga tenuis fortunae sodales. Neminem deferto. Ne sis lingua futili. Ita fiet, ut sine invidia laudem invenias, et amicos pares. Si videris convivium esse prolixius, precatus veniam, ac salutatis convivis, subducito te a mensa. Vide, ut horum memineris.

P. Dabitur opera, mi praeceptor.

De spectro Atheniensi.

(Plinius Sec., Epist. VII 27).

Erat Athenis spatiosa et capax domus, sed infamis et pestilens. Per silentium noctis sonus ferri, et, si attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo, deinde e proximo reddebatur; mox apparebat idolon, senex macie et squalore confectus, promissa barba, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatque. Inde inhabitantibus tristes dirasque noctes per metum vigilabantur: vigiliam morbus, et crescente formidine, mors sequebatur. Nam interdiu quoque, quamquam abscesserat imago, memoria imaginis oculis inerrabat, longiorque caussis timor erat. Deserta inde et damnata solitudine domus, totaque illi monstro relicta: proscribebatur tamen, seu quis emere, seu quis conducere, ignarus tanti mali, vellet. Venit Athenas philosophus Athenodorus, legit titulum auditoque pretio, quia suspecta vilitas, percunctatus omnia docetur ac nihilo minus, immo tanto magis conducit. Ubi coepit advesperascere, iubet sterni sibi in prima domus parte, poscit pugillares, stilum, lumen: suos omnes in interiora dimittit, ipse ad scribendum animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita simulacra et inanes sibi metus fingeret. Initio, quale ubique, silentium noctis, dein concuti ferrum, vincula moveri. Ille non tollere oculos, non remittere stilum, sed offirmare animum

auribusque praetendere. Tum crebrescere fragor, adventare et iam ut in limine, iam ut intra limen audiri. Respicit, videt agnoscitque narratam sibi effigiem. Stabat innuebatque digito similis vocanti. Hic contra, ut paulum expectaret, manu significat rursusque ceris et stilo incumbit. Illa scribentis capiti catenis insonabat. Respicit rursus idem quod prius innuentem nec moratus tollit lumen et sequitur. Ibat illa lento gradu quasi gravis vinculis. Postquam deflexit in aream domus, repente dilapsa deserit comitem. Desertus herbas et folia concerpta signum loco ponit. Postero die adit magistratus, monet, ut illum locum effodi iubeant. Inveniuntur ossa inserta catenis et implicita, quae corpus aevo terraque putrefactum nuda et exesa reliquerat vinculis: collecta publice sepeliuntur. Domus postea rite conditis manibus caruit.

De Polonis in IV Olympicis ludis hiemalibus.

Quamquam nullum iam hiemis vestigium exstat, memoria tamen eius permanet. Quam et in hoc Palaestrae fasciculo vobiscum communicare desidero, eo magis, quod ludis delectamini et quod accuratiorem de ludis descriptionem iam dudum exspectastis, praecipue de iis ad Olympicos ludos pertinentibus, qui in Germania (in Garmisch Partenkirchen vico) hieme, et qui in Germania (Berolini) in aetatem proximam parantur.

IV. Olympici ludi hiemales ad finem venerunt. Comes Baillet Latour, qui praeest iis omnium gentium legatis, qui ludos Olympicos quotannis instituunt et apparant, tradidit tesseras in ludorum Olympicorum memoriam signatas iis, qui in IV. Olympicis ludis hiemalibus praemia tulerant. Nullus tamen Polonorum, qui ludis iis interfuerunt, ad eius mensulam, ut tali nummo decoraretur, accessit.

Qua re audita plurimi, qui cotidianam in ludis certantium vitam, cotidianos eorum labores, nulla accurata ratione inquirere solent, sed solum de praemiis famae serviunt, qui etiam ita Olympicos ludos observabant, — maerore et luctu affecti sunt.

In ludis igitur, quibus certantes in duas catervas pari numero divisi, soleis ferratis per glaciem currentem pilam in adversariorum portulam (currens orbiculem) inicere conantur, (quod hockey nominatur), in quibus necopinato primum usque adhuc Angli victoriam ab Americae septentrionalis U. S. A. et Canada) incolis reportaverunt, — nos, Poloni, calamitates (cum Canada 1:8, cum Austria — merito, necne — 1 : 2) accepimus. Denique, etsi ab Lettis victoriam reportaveramus, tamen iam ceteris certaminibus interesse non admissi sumus.

Kalbarczyk Ianus, soleis ferratis spatio 5000 m tempore 8:47,7 et spatio 10.000 m tempore 17 : 54,0 pervolato, duodecimum atque nonum praemium accepit, cum utrumque cursum tam

brevi perfecerit tempore, quale nemo usque adhuc in Polonia assecutus esset.

Inter eos, quibus ad soleas lignea supellectilia pedibus trahae similia alligantur, Polonorum solus Stanislaus Marusarz (qui exempli gratia: quintum praemium inter saltatores Scandinaviae, et optimum inter Europae saltatores accepit) excellebat, numquam tamen Poloniae primum praemium cepit. Porro minus ceteri Polonorum valuerunt.

Sed haec omnia excusantur insufficienti certantium praeparatione (propter hiemem sine nive), vel morbis eorum, vel iniuria iudicum vel modo egregiae praeparationis certantium aliarum gentium.

Laudibus (verum confiteri oportet) singuli (ut Marusarz vel Kalbarczyk), non omnes Polonorum certantes (ut exempli gratia Scandinavi), extolluntur. Cur ita fit? Quia apud nos, Polonos, aliter ludi et certamina tractantur, quam nobis a Graecorum sancta antiquitate traditum est.

Non omnes, sed nonnulli Polonorum ludunt et certant. Qua ex re conditio hodierna ludorum et ludentium efficitur.

Primum antiquorum in his rebus consuetudidinem sequamur, liberi atque senes!

Tum priores gradiamur:

altius!
celerius!
firmius!

A. POCELLUS.

Michael Korycki, Ad poetam

Rasis capitibus Polonorum insultantem.

Cur insueta moves, novus Heros, proelia contra
Polonis rasos antiquo more capillos,
Distringisque stylum, quem mordax Zoilus offert?
Sunt iam privati vitâ, iam parce recisis.
Et lex nulla vetat resecare superflua vitae, et
Noxia non raro: rem dant exempla videre.

Audivi nuper, vestrâ de gente sodalem
Dependete coma, et Polonum vertice raso
Tecta subingressos, ubi fundit vina Lyaeus.
Ergo dum vacuant calices et pocula siccant,
Incaluêre mero, et quod tali usuvenit aestu,
Inter bellaces homines est rixa coorta.
Ventum est ad pugnos, manibusque insurgit uterque
In caput alterius: verum felicior istâ
In pugnâ Polonus erat, cui praebuit ansam
Teutonis ampla coma: hanc fervens ubi corripit ille,
Implicat extensis digitos cum crinibus uncos,
Exagitat dirisque modis exercet egentem
Auxilii: similes attentat Teuto rapinas,
Verum Polonus sese brevitate capilli
Elabi gaudet. Succlamat Teuto: „Iuvate“.
Accurrunt socii, sed enim molimine casso:
Polonus siquidem crines harpagine bina
Sic tenet, ut nulla possit divellier arte.

Hinc rogat ille miser: „Socii, succidite crines!“
Parent, succidunt; sic tandem pugna dirempta est.

En longi et capiti afficto nocuêre capilli,
Et sibi: nam tristi fato cecidêre resecti.

Quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat. Justin. lib. V.

Vidi ego, dum nuper Tyrio rosa murice florens
Spargeret auratas imperiosa comas:
Ecce Hyblaearum melliflua turba volucrûm
Stipabant florem dulce sonante choro.
Ast ubi vis Boreae rapuit decus omne rosarum,
Deciduos flores nulla revisit apis.
Tum tacitus mecum sic dissero: floris honorem,
Non florem coluit mobile vulgus apum.

Dictionarium Latino-Polonicum

seu Calepinus novus

(ex codice Bibliothecae Iagellonicae 116 p. 173 et Bibl. Berol. slav. 7).

Coś na czasie:

Omnia insolenter — po polsku,
omnia perperam — po kozacku,
sedulus — Niemiec,

Kiedy tak było?

rząd — impunitas,
urząd — munerum acceptor,
dworstwo — mendacium,
dworzanin — dicaculus,
pan poseł — privato inhians commodo,
urodzenia wolność — superbia,
szlachcic urodzony — superbus,
Wolny Szlachcic Sobiepan — oboediens deo, legi, regi,
poborca, szafarz — trifur,
żądny grosza — usurarius,
prokurator — praevaricator,
polityk — factiosus,
męstwo — homicidium — iactantia,
żołnierz — expoliator,
nie da sobie w nos dmuchać — homicida,
doświadczony wojskowy znawca — miles seditiosus.

Kilka charakterów i cnót:

gospodarz — avarus,
gość w dom — damnum speciosum,
zna się na ludziach — detractor,
(świadomy rzeczy) — detractor,
mechanik — diligens in negotiis,
kujon — doctus,
sąsiad — iniurius,
towarzyski — intemperans,
mędrzec — loquaculus,

czujny o sobie — malitiosus,
żak laik — modestus,
stateczny — pertinax,
przemyślny — rapax,
prostak — virtutum custos,
szlachetny animusz — dissolutio,
nieuczynność — parsimonia.

In germanico idiomate non habetur pietas,
in polonico discretio,
in ungarico virtus.

Singulae nationes solvebantur propter suas virtutes, ut:

Galli propter constantiam,
Germani propter abstinentiam,
Hispani propter humilitatem,
Hungari propter fidelitatem,
Itali propter castitatem,
Lithuani propter sinceritatem,
Poloni propter bonum ordinem.

In Desiderium Erasmum.

Quae Desiderio mors nos orbavit Erasmo,
Heu desiderium quam longum liquit Erasmi!

II. VER SACRUM

Ad Horatium

Carmina cur, Horati,
vinciant omnes animos dic tua? Cur legendo,
dulcia qui probarit
iam semel nexis numeris verba, nihil — beatus

temperet? O, poeta!
vivis aeternus, pueroque et iuveni puellae
non vetus ipse amatus.
Gaudeo vere, proprium quamquam homini invidere est

saepius. En adoro
te, Sabini arvi dominum, qui mala qui beata
omnia mente eadem
praecipis vates celeber ferre, monesque cives

providus abstinere
et voluptate et studiis atque velint superbi
legibus obsequi iram et
edomare. O, sic fuimus vatibus admonendi

Nos quoque, nos Poloni!
„Quo scelesti, quo?“ — mala sed non memoranda
Florida vivit rursus [nobis.
civitas nostra et colimus fatiloquos poetas.

Vos amor omnium almus!
Vos siti enectos animos nectare recreatis.
Hoc tibi fer suave
Carmen lectoris cupidi ut munus amoenum, Horati!

In casam natalem

Aevo stas anus ut gravis,
curvato capite et non valido pede,
natalis casa rustica!
Non urbis nitidae miror amo et domos,

duro quae lapide aut rubro
exstructae latere stant tacito ordine et
ad sese timidae quasi
omni parte premunt... Tu mihi lignea

miranda, etsi humilis casa!
Deserta inter agros stas, tilia modo
pergrandi socia; procul
quercus rara sonat — non lapide ad viam

stratam, sed luteo solo.
Campos — nil aliud praeterea — vides

vastos, tritico et aureos...
  Annos iam decies sola ita agis decem.

Hic natus, puer hic ego in
  libertate tener vixi animo, hic quoque
natura placuit mihi,
  quam musae auxilio nunc canere ardeo.

M. BROŻEK.

Ad philologiae studentes Leopolitanos

Varsoviam cur clara Leopolis
congressa non es?... Muta taces, taces!
  Cracovia et Posnania atque
    Vilna dies ibi tres moratae,

novis amati de studii viis
novo et vigore plurima sedulo
  deliberavere atque ad annum
    composuere nova statuta.

Thaddaeus ipse huic grandi operi adfuit,
vir doctus, omnes quem volumus ducem
  in disciplinis esse nostrum.
    Heus! milites, animos ad illum!...

Post et peractis consiliis fuit
convivium, in quo vinaque mellaque

referta profluxere factis
et vicibus chorus est citatus.

MIECISLAUS BROŻEK
Cracoviensis.

Ad Annam Memoratam

virginem Polononam, poetriam laureatam.

Quaeritur, an lauro tua tempora digna putentur?
At tu versiculis ingenioque viges.
Tu pulchra facie, Memorata poetria, nostras
Aures nunc cultis, Anna, tenes numeris,
Nostris temporibus (si Fors tibi caeca tulisset)
O Anna gracilis, si faceres numeros,
Numquam mersa fores Lethaei fluminis undis,
Sed medioque daret laus Helicae locum.
Te dicunt merito patriae decus esse, Polonis
Semper grata manes. Virgo Polona vale!

IOANNINA HOSPODAREWSKA,
Leopolitana

Iulii Słowacki, Anhelli cap. XVI

Et cum discessissent angeli, Anhellius tristi voce conclamavit: „Itaque iam finis est!“

„Quid faciebam in terra? Erantne ea omnia somnia?“

Cum meditaretur Anhellius de arcanis venturi temporis, caelum purpureum factum est et sol prae-

clare illuxit; qui postquam in orbe terrae constitit, non se sublevavit factusque est, ut ignis, purpureus.

Brevem diem in suum usum contulerunt aves sub caelo volitantes albaeque alites maritimae, quae a Deo iussae sunt fugere tenebras, quarumque magna turba volitans ingemiscebat.

Quas igitur Anhellius spectavit clamavitque: „Quo, alites albae, tenditis?“

Et videbatur audisse alitum gementium vocem respondentem: „Patriam tuam petimus!“

„Iubesque nos aliquem salutare? An in culmine tecti grati consistere cantareque noctu lugubre carmen calamitatis?

„Ut e somno excitetur mater tua, aut aliquis propinquorum tuorum utque incipiant in tenebris lacrimare timore permoti.

„Meditans de filio, quem Orci regnum devoravit, et de fratre, qui infortunio oppressus est“.

Haec erat vox avium, qua re cor Anhelli commotum et ipse humum delapsus est.

Sol evanuit, videbantur tantum volucres volitantes sublimes in summo aëre caeruleo, ut rosarum albarum coronae, ad meridiem properantes. Anhellius de vita decessit.

vertit THADDAEUS LEŚNIAK,
cl. VI gymn. publ. Tlumaczensis.

Collaudatio summi Poloniae ducis, I. Piłsudski

Dies hodiernus clarissimo meritissimoque civi et vero filio Poloniae, communis matris nostrum omnium, dedicatus est. Amici! Nunc nobis celebrandus est ille vir, qui ultimi belli tempore non dubitavit renovare rem publicam Polonam. Eius consilio in exercitu Austriacorum et Germanorum legiones primae institutae sunt, quae postea pro patria pugnarent. Sed cum Germanorum duces postulavissent ab eis, ut sibi iusiurandum darent, militibus suis persuasit, non licere Polonis sanguinem, nisi in spe libertatis profundere. Sciebat enim ille, Germanos, si superavissent foederatos exercitus Gallorum et Moscorum, nunquam liberam Poloniam restituturos esse. Germani propter id factum valde in auctorem talis sententiae et in omnes eam sequentes saevierunt namque maior pars militum in vincula coniecta et in custodiam data est. Ipse Piłsudski in castello Parthenopolitano quod germanis dicitur Magdeburg vinctus tenebatur. Res ab eo susceptas alii ad finem perducebant. Anno millesimo nongentesimo duodevicesimo liberatus ex carcere summum imperium a civibus accepit. Sapienti Josephi Piłsudski consilio factum est, ut excercitus Polonorum magnas Rossorum copias, ad ipsam Varsoviam pervenientes profligaret, et memorabilem victoriam reportaret. Id factum est anno millesimo nongentesimo vicesimo. Atque bello confecto in libertate reipublica Polonae confirmanda

nihilo minus adlaboravit; namque, cum alii perniciem rei publicae pararent, is a. 1926 tribus diebus Varsoviam expugnavit. Nos iuvenes ab eo amorem Poloniae discimus, qui omnibus significavit, quo modo cum hoste pro patria nostra et pro libertate pugnemus, quomodo patriam vitae omnibusque ceteris bonis anteponamus.

GEORGIUS HETMAN
cl. VIII gymn. I Piotrcoviensis.

Henricus Heine, Carmen vernum

Leise zieht durch mein Gemüt
liebliches Geläute.
Klinge, kleines Frühlingslied,
kling hinaus ins Weite!

Kling hinaus bis an das Haus,
wo die Blumen spriessen:
Wenn du eine Rose schaust,
sag, ich lass sie grüssen.

Lene subit animum
Caelicus tinnitus.
Sona, vernum canticum,
Per terrarum situs!

Sona procul ad casam,
gaudet quae floreto:
videris si rosulam,
rosulam salveto.

III. SATURA LANX

Aenigma mathematicum.

Audite versum parabolae,
quod quondam puero contigit:
dum iret in solitudine
aprum cum canibus quaerere,
invenit illum celeriter.

Per spatia multa dum curreret,
venator eum prosequitur
nam fervidus, mox ira repletus
volens velociter perdere,
cucurrit, ubi gladius fixus est.

Sed in compedibus coluber
venenum auxit mortiferum;
nam fera pervalida cucurrit
et occisi simul mortem
dederunt in invicem.

Nuntius matri adveniens
perrexit puerum quaerere;
invento corpore genitrix

fundensque lacrimas pectore
verbaque ista locuta est:

„Si tantum vixisses, tu fili mi,
quantum vixisti, dulcissime mi,
iterum tanti et medium tanti
annoque uno expleto,
centum annorum existeres.“

Discite quam mihi sint in corpore monstra,
Quam varios actus habeam: mihi finis et ortus
A sese discant et membris membra repugnant.
Ortus in Italicis, mihi terminus est in Achivis.
Dat mihi Roma caput, reliquum nigra Graecia corpus,
Sed capitis rabies reliquas vult rodere partes
Nec cessat rapere quicquid valet ore vorare.
Quos caput expoliat, his corpus tegmina donat.
Insequor atque voro proprium caput et bene vivo.
Quod si non valeo, mediis me fluctibus indo.
Incolumis dum sum, fortis sub pondere non sum:
Ventre sed abscisso, capitis quoque fine reciso
Fortior existo nec onus portare recuso.

(cod. Paris. 8088 saec. XI, — Philol. 77, 426)

Versus de nummo per omnes casus.

Imus fit summus, hunc quando iuvat bene nummus.
Vix fiunt summi nunc absque iuvamine nummi.

Ut similis summo cito fiam, supplico nummo.
Laudo meum summum dominum super omnia num-
[mum.
Sepe michi, summe patrone, facis bene numme!
Non domino summo praesumo loqui sine nummo.

Quid facerent summi, si non essent modo nummi?
Copia nummorum lenit mentes dominorum.
Laudes do nummis, per quos par sum modo summis.
Commendo nummos, humiles faciunt cito summos.
Nunc per vos summi venerantur me bene, nummi.
Dum careo nummis, tunc gratus ero male summis.

Griphi musici.

(ut, re, mi, fa, sol, la)

Cur adhibes tristi numeros cantumque laboris:
*Ut re*leves *mi*serum *fa*tum, *sol*litosque *la*bores

vel aliud:

*Ut re*levet *mi*serum *fa*tum *sol*litosque *la*bores
Aevi: sit dulcis musica noster amor.

Carmen cuius verba in P litteram incipiunt.

In podagrae triumphum.

Pontanus, podagram, pompam, Paeana poeta,
Personuit pulchre: pulchra podagra parens.

Plectra podagricolae percurrite, psallite Paean
 Pangite, post praestat ponere pone pedes.
Praelustris podagrae praeludia pulchra poeta
 Praecinuit: patiens pangere plura potest.

Saeps tribus annis stat, duratque canis totidem ter,
 Ter totidem stat equus, ter totidem stat homo.

Codex manuscriptus mutilatus.

Ἀ . . ὰ . ἁ . ἤ . η ῶ . α . π . ἑ . . ι — ἐ . . ἰ . ἐν
ἀ . . θ . . . . . μέ . . , ὑμ . ν ὃ . β . ω . . μὲ . . ς᾽ ὁ . ὁ . ε . οι
δὲ . μῶ . ἔρ . ον . α . ἐπ . ἄμ . . νο . . ρᾶ . . α,
ἄδ . . ο . πα . . ὶ πλ . . εἰ τῷ θεῷ.

(Wyjątek z Ἀπολογία Σωκράτους).

ALPHONSUS BILLERT, cl. VII a
gymn. Inovratislav.

Quadratum magicum.

A	A	A	A
A	E	E	L
L	N	N	S
S	T	U	V

Ex litteris quadro inclusis quattuor compone ita, ut duabus ex partibus perinde legantur, voces latinas, quae indicant 1. telam, 2. Bacchi cognomen, 3. synonymum 'praeconii', 4. manubrium.

H. W. DĄBROWSKI, cl. VI
gymn. Coveliensis

IMPRESSUM IN TYPOGRAPHIA SCIENTIFICA, LEOPOLI, VIA ARMENIORUM 8
Editor: RICARDUS GANSZYNIEC, Leopoli, in Universitate Ioanneo-Casimirana
Moderatores: Bronislaus Ilkow et Ioannes Kołtowski, Leopoli, in Universitate

Palaestra prodit semel in mense, exceptis Iulio et Augusto. — Constat 35 grossis
Opłata pocztowa opłacona ryczałtem — Czerwiec — PKO Warszawa 154.894.